



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Hadrianus I. Potentiæ vestræ, &c. Carolo Magno Musiva, & Marmora Palatii  
Ravennatis auferenda concedit: anno 782.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



# BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS NONUS,  
SIVE  
CONTINUATIO, PARS TERTIA.

## HADRIANUS PRIMUS PONTIFEX XCVII. ANNO DOMINI DCCLXXII

ANNO 772. HADRIANUS PRIMUS, Romanus, qui diuturniorem ceteris ANNO 844.

Pontificibus tūm Prædecessoribus, tūm Successoribus Papatum tenuit, primus in Occidente Sacrarum Imaginum cultum firmavit Decreto, quò tempore & in Oriente Concilium Nicænum secundum contra Iconomachos Anno DCCLXXXVII. idem sanciverat. Primus item, quod traditur, Pontificias Literas cerâ pridem signari solitas plumbo muniti constituit. Parum abfuit quin annos Petri hic Pontifex attigisset, sedit quippè annis 23. mensibus 10. diebus  
18. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 19. App.*)

Ex Oper. Diplom. Mirrai Tom. I. pag. 643.

Carolo Magno Musiva, & Marmora Palatii Ravennatis auferenda concedit: anno 782.



Otentia vestra, per Arinum Ducem, suscepimus apices: in quibus referebatur, quod Palatii Ravennatis Civitatis musiva atque marmora, cæteraque exempla, tam in strato, quamque in parietibus sita,

vobis tribueremus.

Nos quidem libenti animo & puro corde, cum nimio amore vestra Excellentia tribuimus effectum: & tam marmora, quamque musivum, cæteraque exempla, de eodem Palatio vobis concedimus auferenda: quia per multa vestra laboriosa regalia certamina multis bonis fautoris vestri Beati Petri, Clavigeri regni cælorum Ecclesia quotidie fruatur, quatenus merces vestra copiosa describatur in celo.

SERGIUS SECUNDUS,  
PONTIFEX CIV.  
ANNO DOMINI DCCCXLIV.

Sergius hujus nominis secundus Gregorio IV. successit, quem primum Pontificum fuisse, qui nomen mutavit, utpote qui prius Petrus Buccaporcius diceretur ab aliquibus est proditum, quamvis alii

nominis mutationem Adriano tertio adscribant. Trium annorum fuit Pontifex. Obiit anno 847. cui Leo IV. successit, qui prior, ut aliqui tradunt, Populo pedes præbuit desolucandos. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 19. App.*)

Excerptum ex Epistola Sergii ad Episcopos Transalpinos, quâ Drogonem Archi-Episcopum Merensem Caroli Magni Imperatoris Filium naturalem designat Vicarium sedis Apostolicæ in Gallia & Germania: an. 844.

Ex Oper. Diplom. Mirrai Tom. I. pag. 647.

FRATRES carissimi, quia Nos cunctarum sollicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum, moderationis nostræ Vicarios damus, Ad nostræ igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans Alpes constituris DROGONEM Archiepiscopum Merensem, gloriosi quondam Caroli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorumque concorporavit Imperium, cautâ deliberatione constituimus: Ut quia Serenissimi atque piissimi filii nostri, magni Imperatoris *Hlotharii*, ejusque Fratrum dilectissimorum Filiorum nostrorum *Hudovici & Caroli* Regum Avunculus est, insuper sanctitate doctrinâque conspicuus, ab hac sede sanctissima Apostolorum Principis auctoritate perceptâ, vestris necessitatibus, vice nostrâ, idoneus ubique Minister existat. Et quia omnium vestrorum sollicitudinem illi ge-